Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26144
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sionem. nichil curantem nullas sollicitudines huius uite ha
bentem. Constitue illum et in hoc spectaculo. pene multum
meliorem illum fac et clariorem. non terre floribus et delicias faciens sed
uirtutes. hoc est temperantiam mansuetudinem et ceteris omnibus.
Nichil enim sic perturbat oculum sicut conscientia mala. Turbatus
est inquit in ira oculus meus. Nichil sic tenebrosum facit. Ex
huius cum libera oppressione et faciet eum festiuum et forte quod semper nu
tritur rebus bonis. Contingat autem omnes nos et istum. id est ocu
lum et alias anime nostre operationem tales preparare et habere quales
uult christus. ut super posito nobis capite nostro digni efficiamur et
ambulemus quo ipsi uoluerit. Dixit enim uolo ubi ego sum et isti
sint mecum. et gloriam meam uideant. quod cunctos contingat perfrui in
christo ihesu domino nostro cum quo patri una cum spiritu sancto gloria imperium nunc
et semper et in secula seculorum amen. Explicit sermo.

Incipit sermo xviii. SUPRA dicens quia sacrificium
et oblationes et holocaustomata pro peccato noluisti. neque
placitum est tibi que secundum legem offeruntur. tunc dixi ecce
uenio. ut faciam uoluntatem tuam deus. excludit primum ut secundum
confirmet. In qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem cor
poris ihesu christi semel oblatam. Et omnis quidem sacerdos astabat
ministrans et easdem ipsas hostias frequenter offerens que
numquam possunt auferre peccatum. Ipse autem unam pro peccatis
offerens ostiam imperpetuum sedet in dextera dei. de cetero ex
spectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.
Anterioribus quidem ostendit inutiles esse ostias ad integram
mundationem et formam magis eas esse et multum minus habere